

a lege constituta poena: nisi si stipulatio tantumdem comprehendat: & ejusdem Tituli digest. 134. non recte stipulor ab aliqua poenam, si mihi non nubat, neque item qua mihi jam nupta est, ab ea poenam stipulari possum, si divortium fecerit. *Bals. Schol.* Digest. 19. tit. 1. lib. 45. est cap. 18. tit. 1. lib. 43. Basil. quod sic habet: irrita est stipulatione constituta poena, si culpa alterius conjugum divortium factum fuerit, ut ne privatorum hominum pactis poena publico perimatur. Digest. 134. tit. 1. lib. 45. est caput 134. tit. 1. lib. 43. Basil. quod habet, quemadmodum in textu scriptum est.

*Cap. 5.* De stupro, adulterio, atque pædicatione, tractat Lex in lib. 1x. Cod. tit. 1x. & lib. 48. tit. 5. talia delinquentibus poenam inducens capitalem. *Bals. Schol.* Digest. 48. tit. 5. positum est in cap. 3. tit. 37. libri 60. Basil.

*Ibid.* Dicitur lib. xii. tit. 5. digest. 4. quod meretrici datur, non redditur. Quum enim meretrix sit, non turpe est ipsam accipere, tamen meretricem esse, turpe sit. Et lib. 39. tit. 5. digest. 6. quod etiam ob inhonestam causam recte donetur, veluti si meretrici quippiam datur, atque ratum sit. Et lib. 47. tit. 2. digest. 39. Qui alienam ancillam meretricem rapuit, aut celavit, neque tamquam plagiarius, neque tamquam fur tenetur: non enim furti, sed libidinis causa id fecit. Nam si quis fores meretricis effregerit, & alii ingressi, non autem ab ipso inducti, res ejus furati fuerint; is non tenetur tamquam fur. *Bals. Schol.* Digest. 4. tit. 5. lib. 12. est thema 2. cap. 5. tit. 2. lib. 24. Basil., quod eadem dicit. Digest. 6. tit. 5. lib. 39. est cap. 5. tit. 1. lib. 47. Basil. quod habet, ut in textu compendiose propositum est. Digest. 39. tit. 2. lib. 47. est cap. 39. tit. 12. lib. 60. Basil. quod habet, quemadmodum declaratum est.

*Ibid.* Dicit vero etiam lib. 38. tit. 8., quod vulgo quaesiti non modo matri, sed etiam cognatis materni generis succedant, & ipsis ab his succedatur. Illustris autem mulier, qua liberos legitimos, & spurios habet, non potest spuris, neque inter vivos, neque quum moritur,